





12043. Disputatio Politica

De  
S U B D I T I S.

Quam,

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

M. SIGISMUNDI EVENI

Navena-Marchici, Facultatis Philosophi-  
cæ Adjuncti,

*Consensu Ampliſſ. Facultatis Philosophicæ,*

IN ILLUSTRIS WITTEBERGÆ,

*Publicè discutiendam proponit*

CONRADUS CARPZOVIVS

WITTEBERGENSIS,

*In Collegio Philosophorum,*

*d. 2. Novembr.*

WITTEBERGÆ,

*Ex officina typographica Martini Henckelij, Anno*

M. D. C. XI.

84



THESIS I.



Subditi in Politica dicuntur Admi-  
nicula animata, & hic non ut materia Rei-  
publ. sed ut ad conservationem ejusdem a-  
liquid conferunt, considerantur.

2. Sunt autem Subditi Persona Magistra-  
tui officiis debitis ad Reipub. conservationem obligata.

3. In quibus præcipuè tria consideranda veniunt: Eo-  
rum Constitutio, Officium & Ordo.

4. Constituuntur Subditi dupliciter: 1. Naturâ: cum  
quis sub Principe aliquo ex Subdito nascitur; Origo quippe  
sive nativitas Subditum facit. l. 1. & 6. ff. ad Mun. & de Incol.

5. 2. Domicilium constituit Subditum, in quo quis fortu-  
narum suarum sedem fecerit l. 3. & 4. ff. eod.

6. An autem ei qui in alio loco natus est, jus civitatis con-  
cedendum; talisq; inter cives sit numerandus? controvertitur.

7. Sunt qui idipsum negant; Dum facile accidere possit,  
ut peregrini quadam saltem simulatione jus Civitatis, pro-  
ditionis causâ petant, existantq; hac ratione magis hostes  
quam hospites.

8. Nec deesse periculum in peregrinis, cives exhaurire  
& opprimere conantibus, cum sæpè Civitati sint exteri,  
quod locusta segeti. Cas. lib. 5. polit. c. 3.

9. Haud insuper beatam judicandam Rempub. inquit  
Socrat. in Orat. de pace, quæ ex promiscua hominum collu-  
vie cives multos temerè colligit, sed quæ primas & anti-  
quissimas familias maximè conservare studet.

10. Quæ tamen omnia parti affirmanti nihil obstare viden-  
tur, sed saltem monent, non temerè quosvis obvios in numerum  
civium legendos; Sed diligenter prospiciendum, quinam sint il-  
li, unde veniant, & ex quibus causis, sua sede deserta petant pe-  
regrinam.

Quæst. I.  
Quid Subdi-  
ti?

Quæst. II.  
Quæ & quoti-  
plex Subdi-  
torum consti-  
tutio?

Quæst. III.  
An alibi na-  
to jus civita-  
tis conceden-  
dum?

Quæst. IV.  
Quomodo ci-  
ves legendi ex  
peregrinis?

11. De quibus si probabiliter constabit, nullum relinquitur dubium, quin tales in numerum Civium sint recipiendi, ijsq; jus Civitatis concedendum.

Qu. V.  
Quodnam  
Subditorum  
sit officium?

12. Post Constitutionem Subditorum, eorundem consideratur officium, quod exposcit honorem seu venerationem; obedientiam; tributum; & opera militaria.

Qu. VI.  
Quid honor  
Subditorum  
in se comple-  
atur?

13. Subditi superioritatem sui Magistratus recognoscere debent, Eumq; tanquam divinitus institutum venerari, cum nullus sit Magistratus nisi à DEO. Rom. 13. vers. 1.

14. Debent Orare pro Magistratu, non tantum bono & pio, sed etiam malo & impio. secundum exemplum captivorum in Babylone, qui etiam pro Magistratu Ethnico preces fundere soliti sunt. Jerem. 29. vers. 7.

15. Non debent singula dicta & facta Magistratum calumniari, rimari, ad deteriora flectere, necq; iisdem contradicere.

Qu. VII.  
Quomodo &  
quomog. Sub-  
diti Magistra-  
tus tenean-  
tur obedire?

16. Ita & Subditi incumbit in omnibus, etiam ijs, quæ fortasse iniqua videntur, morem gerere, hæc enim, licet quandam sapiant injustitiam, pœnam tamen divinam occultis quibusdam de causis præ se ferunt. Schönborner Polit. lib. 3. c. 37.

17. Et hæc quidem sine ulla exceptione in Politicis procedunt, nisi ad sanguinem usque sæviat Magistratus, & ita Magistratus esse desinat; Naturæ enim tunc jus valebit: Vim vi repellere licet. 2. Reg. 1. Saul. Sanguis eius super altare. 1. Sam. 24. Saul. Sanguis eius super altare.

18. Si verò in negotio Religionis contra conscientiam Magistratus aliquid jubeat, ei non esse obediendum, rectè affirmat Petrus, Act. 5. vers. 29.

Qu. VIII.  
An liceat Sub-  
diti Religio-

19. Hic quæstio oritur; An liceat Subditi Religionis causa arma contra Magistratum capere? Distinguendum putamus

MUS

mus inter Magistratum seu Principem, à Religione Subditorum simpliciter saltem dissentientem; Et eandem tyrannicè persequentem, atq; adeo in subditos sævientem.

20. Illi nequaquam resistendum, siquidem etiam malo & scelerato Principi morem gerendum esse, à sacro codice hinc inde inculcatur. *Matth. 22. vers. 21. 1. Pet. 2. v. 17.*

21. Hæc verò *jure naturali* quod à nullo Politico tollitur, postulante, quin resisti possit nullum dubium; Prius tamen Subditi omnia Remedia experiantur, quàm temerè & inconsultò progrediantur.

22. Deinceps & à Subditis *Tributorum præstatio* Magistratui, sui ipsius commodi gratia facienda, ut vera pace frui & sub tutelâ Magistratus eò commodius vivere queant *Schönb. lib. 4. c. 19.*

23. Eadem ratione Subditorum studium *in operis militariibus* spectatur, omne enim bellum legitimum, ad Remp. defendendam, pacemq; constituendam suscipitur, quare & hac in parte Subditorum officium haud debet abesse.

24. *Ordinem Subditorum* quod attinet, attenditur in eò *Commodum* vel *Incommodum*; *Ratione Commodi, Subditi* vel *sunt Simples* vel *Mixti*; *Simplices* vel *Literati* vel *Illiterati*.

25. *Ex Literatis alij tractant Sacra, alij verò Profana*; Quorum illi primum locum inter Literatos obtinent, Suntque *Theologi*.

26. His meritò summa in ordine Literatorum dignitas adjudicatur, Populo enim mysteria Divina enunciant: Simplicioribus viam monstrant *Salutis aternæ*: gregemq; sibi commissum sectari virtutem, averfari scelus, non tam monitis quàm exemplo docent: ut ait *Schönbörner lib. 3. c. 40.*

A

Profana

nis causa ar-  
ma contra  
Magistratū  
capere?

Qu. IX.  
Cur tributa  
Subditis Ma-  
gistratui pen-  
denda?

Qu. X.  
An ad opera  
Militaria  
Subditi alle-  
gati?

Qu. XI.  
Quomodo Or-  
do Subdito-  
rum constitu-  
endus?

Quæst. XII.  
Cur Theolo-  
gis inter Lite-  
ratos prima  
debeantur?

27. Profana qui tractant, circa Disciplinam vel Superiorem, vel Inferiorem occupantur; Circa illam vel Præstantiorem, ut Icti, vel minus Præstantem, ut Medici.

Qu. XIII.  
An Icti Medicis antepo-  
nendi?

28. Icti quin Medicis anteferantur nullum dubium, licet sæpissime de iis sinistra judicia audiantur, talia enim proferentes, aut ex invidia, aut ex inscitia id, quod Rabularum forensium proprium est, impingunt Ictis.

29. Verum hinc non de fori tintinabulis, sed iis verba facimus, qui tanquam Juris Sacerdotes justiciam colunt, æqui & boni notitiam profitentur, æquum ab iniquo separant, licitum ab illicito discernunt, bonos non saltem metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione efficere cupiunt l. i. ff. de J & J.

Qu. XIV.  
Quæ Medicæ  
Facultatis  
præstantia?

30. His igitur, cum circa Justitiam administrandam versentur, Medici, qui circa sanitatem vel conservandam vel recuperandam, merito postponuntur, dum bonum privatim publico non præferendum.

31. Medicorum autem Professio per se satis laude digna, imò sancta videri debet, ut quæ à DEO ipso instituta, Eccl. 38. v. 2. Qui & voluit, ut tales essent, qui herbarum vires seirent occultas, easq; usui hominum salutari applicare possent.

Qu. XV.  
Quodnam  
Philosophorū  
officium?

32. Circa inferiorem Disciplinam sunt Philosophi, qui partim veritatem indagant, partim secundum inventam vivere docent. Hinc referuntur Oratores & Poëta.

Qu. XVI.  
Quatenus O-  
ratores in Re-  
pub. admit-  
tendi?

33. Ex Oratoribus Reipub. inseruntur non ij, quibus loquentiæ multum, Sapientiæ parum, Salust. Sed admittuntur qui spectatæ sunt virtutis, quorum opera eò est illustrior, quò facilias multitudo regitur, orationis præsidio adhibito. Schönö. d. lib. c. 43.

Qu. XVII.  
An Poëta in  
Rep. ferendi?

34. Poëtas è Rep. sua exterminavit Plato 10. de Rep. quòd moribus noccant, frena laxent ad omnis generis vitia, cum

tia, cum introducant exempla pessima, venenum melle conditum pueris instillent.

35. Sic & Institutione Philippi Imp. Poetae nullam immunitatis prerogativa debent juvari. *l. 3. C. de Profess. & Med.*

36. Verum quis tam caecus, qui non videat, Poetas & prodesse, simul & delectare, & jucunda ac idonea vita proferre, mirabilesque in animis hominum vires obtinere.

37. Non solum igitur in Repub. retinendi, verum etiam summo honore afficiendi sunt.

38. Illiterati Subditi sunt vulgus, cujus natura quia inconstans, ad superiorum nutum in omnibus se componere debet.

39. In hoc autem spectatur vel *Negotiatio, vel necessariorum ad vitam Comparatio*. Circa illam sunt *Mercatores*.

40. Hos quidam inter Cives haud numerandos putant; Dum negotians difficile a Deceptione exuatur; Et dicunt nonnulli, Christum esse templum ementes & vendentes eicientem, significasse, quod Mercator nunquam possit Deo placere, quare nec Mercatura inter Christianos erit admitenda.

41. Quae tamen saltem ad eos spectant Mercatores, qui extremum finem suae negotiationis ponunt in lucro; nam per se mercatura honesta, licita, utilis & necessaria est.

42. Circa vite necessaria quidam occupantur absolute; quales sunt; *Pistores, Lanij, Coqui, Agricola, Venatores, Piscatores &c.*

43. Alii quo ad commoditatem, uti *Typographi, Fabri, Finguli & similes.*

44. Alij denique, circa decorem occupantur, utpote *Pictores, Calatores, Sculptores, & qui sunt hujus generis alij.*

45. Hi omnes optimo jure inter cives numerari possunt.

Qu. XIIIX.

Quomodo  
Vulgus in Rep.  
componendū?

Qu. XIX.

An Mercatores  
sint cives?

Qu. XX.

Quinam &  
quotuplices  
subditi ex vul-  
go circa neces-  
saria occupa-  
ti?

sunt, singuli tamen, secundum semel datas à Principe constitutiones se gerere debent.

Qu. XXI.  
Quinam Subditi Mixti?

46. *Et tantum de Simplicibus. Mixti sunt Nobiles, qui Ratione Constitutionis ita dicuntur, quod alii Nobiles nascantur, aliis à Cesare Nobilitas communicetur.*

Qu. XXII.  
Quot Nobilium sint gradus?

47. Horum cum Schönob. d. lib. c. 39. tres ponimus gradus; Primo eos collocamus, qui & sua, & majorum virtute Nobiles sunt, armisq; vel literis claritatem adepti.

48. *Hos sequuntur ij, qui tantum sua virtute sunt Nobiles, accedente beneficio Cesaris, Nobilitatis jura cōcedētis.*

49. *Ultimo loco ponuntur, qui Majorum tantum crepant imagines & propria virtute egent. Hi merito reliquis postponuntur.*

Qu. XXIII.  
Quæ Nobilium privilegia, & quomodo cōserventur vel perdantur?

50. Nobilibus etiā quædā sunt privilegia; Utpote: Immunitas à muneribus publicis; Exemptio à tortura; Mitigatio poenarum, nisi atrocissimum facinus fuit commissum; & quæ sunt alia à Principe, vel consuetudinis vigore ipsis concessa.

51. Quæ omnia perduntur per vitam Nobilitate indignam, uti sunt artium sordidarum exercitium, & cōspicatio vitæ, per manifesta & notoria scelera.

Qu. XXV.  
& postrema,  
Quem Histriones, Tibicines & Similes alij in Rep. locum habent?

52. *Incommodum deniq; potius Reip. concernentes subditi, sunt Histriones, qui aliās etiā sunt infames, si ob præmium in scenam descendant. l. i. §. ait prat. ff. de his qui not. infam.*

53. Eiusdem farinae sunt Tibicines & alii, qui plerumque ad scelera ansam præbent.

54. Qui non nisi honestis conditionibus, & parcè in Remp. sunt admittendi.

55. *Et tantum de Subditis tractasse sufficiat.*

DEO omnipotenti, qui omnem animam potestatibus vult esse subditam, sit Laus, sit Gloria.

Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011





SB

VD17

Retrokonv.,







Farbkarte #13

B.I.G.

Politica  
 T I S.  
 A.  
 D I O  
 D I E V E N I  
 atis Philosophi-  
 is Philosophica,  
 T E B E R G A,  
 proponit  
 P Z O U I N S  
 N S I S,  
 borum,  
 G Æ,  
 ni Henckelij, Anno  
 X I.

39  
48

